





Tom III  
Mijakaneop Philoby.

*[Faint, illegible handwritten scribble]*





72

73

In Nomine crucifixi Amoris nostri

*De*

# CRUCE CHRISTI

*Exercitationem Philologicam*

## De genere supplicii ejus, fueritne

Judæis usitatum, de Altitudine item, Formâ, Titulo,

ac Inventione vulgò Helenæ adscriptâ,

*DISQUIRENTEM*

WITTEB. A. D. XI. APR. A. O. R. MDC LV.

Horis matutinis

ac loco solito sistent

*PRÆSES*

M. CAROLUS *OXLEY* / Siles.

&

*RESPONDENS*

JOHANNES GEORGIUS *WJRE*

Dresd. Seren. Ele&. Sax. Alumn.

---

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.





In nomine Christi Amen  
Hic residuum  
CAROLUS  
GEORGIVS







§. 1.



Ultum res literaria Reuchlino, Ga-

lat. Fag. Casaub. Buxtorf. Drus. Schikk. Glass. Sel-  
deno, alijsque viris incomparabilibus debet, qui Talmudem cæteraque Rabbiorum scri-  
pta, tutati hæctenus ab igne sunt, quem iniquis-  
simi Iudices superiori seculo accederant. Sem-  
per illa apud omnes cordatos permagnum pondus habuere, quoties  
de patrijs ritibus eorum ceremonijsq; orta disceptatio est. Ut enim  
scita & sententiæ Ægyptiacæ ex Ægyptiorum, Phœnicia ex Phœ-  
nicum, Græcæ & Græcorum scriptis, aliæ similiter addiscendæ  
sunt: ἔτιω δὴ κατὰ τὸ ἀκόλαστον καὶ τὰ Ἑβραίων, ἐκ τῶν παρὰ Ἑβραί-  
οις λογίων, ἀλλὰ μὴ ἄλλοθεν ποθεν ἀποδέχεσθαι. Agedum itaque  
audiamus Doctores Ebræos, de supplicijs Ebræorum capitalibus  
differentes.

§. 2. Talmud Sanhedrin. c. 7. §. 1. ארבע מיתות נמסרו לבית דין  
quatuor mortes, inquit, h. e. capi-  
taliū pœnarum genera Senatui tradita sunt; Lapidatio, Ustio, De-  
collatio & Strangulatio, quorum institutionem ab ipso usq; Mo-  
se arcessunt. Deut. 22. Lev. 24. Ex. 21. Lev. 24, 21. Ritus lapidandi  
sic se habuit: Quatuor ulnis ante locum supplicij exuebant damna-  
to vestes, tegebantq; tupidinẽ ejus ab anteriori parte. at mulie-  
rem lapidandam non denudabant nisi partẽ modicã. Porro suppli-  
cij locus altus erat staturas hominum binas, illuc ascendebat ipse unã  
cum suis testibus, habens manus antrorsum ligatas. Unus testium  
impellebat ipsum circa lumbos retrò, ut conversus decideret ad ter-  
ram super cor suum: si inde moreretur peractum erat. cæteroquin  
uno grandi saxo super eum devoluto fuit oppressus. Ritus combu-  
rendi: Fimo immersum ad genua usq; trahabant hinc inde mappã  
circã collum involutã, donec os aperiret. mox liquefactum stannum  
infundebant hianti, ut descendens intestina concremaret. Gladius

A 2

non

QV. 1.

An Crux Ebræorum  
supplicium fuerit?

Sleid. l. 2.  
Cun. de R. E.  
l. 2. c. 4.

Euseb. præp.  
Ev. l. 7. c. 8.





non aliter olim, atque apud nos hodiè in fontes strictus est. Strangulatio peracta h.m. fuit: Immergebant reum fimo, usq; ad poplites suos, & indebant sudarium durius medio tenerioris, atq; circum volvebant collo ejus; tunc attrahabant id ambo testes, quilibet ad se, donec excluderent animam. Blasphemum & Idololatram lapidabant; quidem; postea tamen infigebatur terra palus, unde transversa trabs exibat, & colligatis manibus attracti suspendebantur, propè solis occasum, moxq; rursus dimittebantur quia nefas est relinquere per noctem. -- Sepeliuntur autem omnes supplicio affecti ipsâ die supplicij sui, atq; unâ supplicij, instrumenta; in carcere tamen occisi, non in ipso sepulcro. Ita hæc omnia ex *Maimonide hal. Sanh. §. 1. 5. 7. med. & penult. Schickardus* vertit.

מ"ח c. 4. th. 14

ap. Fag. ad Deut. 21. 22.

§. 3. Nihil ibi de Romanâ Cruce quam destruunt potius Rabbi expressis verbis *זה לא היה בישראל לתחוב ברגלי יירי אדם זחנתלון הנסקלון* non fuit hic mos in Israël, ut clavos figerent in pedibus aut manibus hominum, qui lapidati & suspensi fuissent. Neque ullum veteris Ebræorum linguæ nomen est, quod Crucem propriè dictam significet. nullum verbum actioni crucifigendi proprium. nullum denique in toto V.T. crucifixionis exemplum. Quæ fusius exequitur & declarat vir omni laude major *Casaubonus*, quem vide.

Ex. 16. tm. 77.

Gustu Philol. sacr.

§. 4. Frustrâ verò h. l. *Phil. Caroli*, qui *Baronij, Lipsij, Sigonij*, partes contrâ *Scalig. & Casaubonum* tuendas suscepit, odium Judæorum erga Christum, capitale de cætero, nominat; quasi ideò isti Crucis quondam usum negent, ut dubiam Evangelistarum fidem reddant. Etenim non moderni solùm Judæi, sed & antiquissimi quique, alto Crucem silentio involvunt. In ipsâ *Misnâ*, (quam *R. Jebuda Hakkadosch*, 200. ferè post Christum annis non de suo quidem, atque ut religionem Christianam convelleret, scripto consignavit, sed ne interciderent Majorum traditiones, longè antiquissimæ, atque ab ipso etiam Christo sæpius notatæ, *Mat. 5, 43. c. 15. Marc. 7, 33. & v. 11.*) capitalium suppliciorum ratio ex professo traditur; at neque vola tamen, nec vestigium Crucis uspiam apparet. Neque omnes profectò Rabbi inficias eunt, Christum crucifixum esse. uti id ex *Ab Esrà ad Gen. 27, 39. lib. Trum. Ven. impr. a. 1523 f. 9. col. 4.*

Bechai





*Bechai* in l. כרהממ lit. ג. c. i. maximus Ebraismi stator asser- *Lex. T. f. 2596*  
torque *Buxtorfius* ostendit. atque ipsum quidem וילת *suspensum; Casaub. l. c.*  
Crucem verò וערבו *flamen & subtegmen* vocant; cum pro-  
prio illam vocabulo designare non habeant.

§. 5. Καταποντισμός, si quando fuit, ordinarium Ebræo- *Mat. 18 6.*  
rum supplicium non fuit. Uti nec *serna, tribuleq; ac secures fer-* *2. Sam. 12. 31.*  
*ree, aut traductio per fornacem lateritiam, vel precipitium,* quæ *2. Par. 25, 12.*  
David quidem atque Amazias aliquando, sed inter arma adhi-  
buere. *Drusus in præter. R. Jehudæ dictum citat: Expedit homi-*  
*mini ut cadat in medium fornacis ardentis, & non pudefaciat soci-*  
*um suum coram multis.* Traxerant Judæi hoc loquendi genus à  
*Babylonijs,* soliti interdum adhibere illud, ut exasperarent cri-  
men. Non aliter Christus, cum gravitatem dati scandali expo-  
neret, supplicium *Syris* usitatum nominavit. *Gratis etiam. Euseb.*  
*Josua à Carolo citatur, ubi vox Ebræa צלח c. 8, 29. à Chaldoo צלח*  
*Cruce & à LXX. Int. δίδυμον ξυλον* vertitur. Præterquam enim,  
quod ab istorum autoritate non pendeat hæc lis, id etiam *ὁπάνω*  
*Casaubonus* dudum evicit, quod *ξύλον δίδυμον Furcam* notet; &  
*Chald. צלח* de omni omnino etiam mortui hominis suspensio-  
ne dicatur. *conf. Deut. 21, 22, 23. Jos. 10, 26. 1. Sam. 31, 10. 2. Sam. 42.*  
*c. 2. 12.*

§. 6. Dicendum itaque quod Romanus Præses, Romanis  
etiam *legibus* animadverti in Christum jusserit; quem grandi  
mendacio, seditionis in Principem Rom. excitatæ, & regni affe-  
ctati, Pontifices in simulaverant. *Autores verò seditionis aut tu-* *Paulus 7Ct.*  
*multus, pro qualitatibus dignitate, aut in crucem sublatis, aut obiecti* *lib. 5. tit. 22.*  
*bestijs fuerunt.* Addimus obiter, quod *Constantinus M.* qui pri-  
mus ex Imperatoribus Christianam amplexus fidem est, crucem *Lips. de Cr.*  
ex humanis, aut certè Romanis rebus sustulerit. nec postea repe-  
ries reductam. Ita non diu Cruci vita fuit, postquam vitam  
ipsam hæc interfecisset.

§. 7. Progredimur ad eam, quæ de *altitudine* Crucis Chri- *QV. II.*  
sti dispicit, controversiam. Ubi principio certum hoc puta-  
mus, aliquâ fuisse illam altitudine. Velut enim de Crucibus ad *De Crucis*  
communiter profani nobis confirmant Autores: *Hesychius,* *Christi Alti-*  
*σαυροὶ ἐκ τῆς εἰς τὴν αὐραν ἴσαθα.* Sic *ἀναστρεφῆν & ἀνασκοποῦσθαι* *tudine.*  
A 3 *clatio.*



Casaub. lc. elationem fixationemq; in alto designat; quod Romanis est in cruce-  
cem tollere, sustollere. Unde crucifixi olim μετέωροι joco satis  
acerbo dicebantur. Plautus in Bacch. Credo hec cle adveniens  
nomen mutabit mihi, Facietq; exemplò Crucifalum me ex Chryfalo.  
Excurre in crucem, idem habet in Most. Ita Crucis Christi alti-  
tudinem etiam nominant August. Damasc. Ruffinus. ac faciunt  
huc verba etiam Evangelistarum, ὑψώθηνας Job. 3, 14. c. 12. 32.  
καταβαίνεν quasi ex præcipitio, Mat 27, 42. Marc. 15, 32. aliorum-  
que veterum testimonia. Tertullianus lignum altum vocat.  
Nonnus c. 19.

εἰς δόρυ τετράπλευρον ἐπήροεν ὑψόθη γαίης  
ὄρθιον ἐξετάνωσαν — — —

In Imaginè, quæ inscribitur Christus patiens:

αὐτίχ' οὐμίλῳ ἔρπονδρῆμα ζύλω  
ἀνήγον, ἦγον, ἦγον εἰς ἀκρον τέλῳ.

de verâ Sap.  
l. 4. c. 26.

Lactantius, Illa quoq; præcipua fuit causa, inquit, cur Deus cru-  
cem maluerit, quod in illâ exaltari illum fuit necesse, & omnibus gen-  
tibus passionem Dei notescere. Nam quoniam is qui patibulo su-  
spenditur, & conspicuus est omnibus & ceteris altior, crux potius  
electa est.

Virg. 7. Aen.

§. 8. Certum deinde & hoc, quod nimia non fuerit illa  
altitudo, communiter & ordinariè. Neque enim talem infe-  
runt verba excurre in crucem, adscendere, insilire, tolli, agi leva-  
ri in crucem &c. Equum adscendere eques, atque in eo sublimis  
ire dicitur. Cothurni Tragici alti & sublimes apud Poetas audi-  
unt, cum quinque digitis suppaetum cralsius haberent solum,  
quàm erant vulgares calcei. Sic altè succinctus, vel alticinctus  
dicitur, qui ad genua vestem habet subductam cinctu. Itaque  
nihil ibi aliud innuitur, quàm quod nuda primùm crux solo de-  
fixa steterit, illos verò, quos adfigi oportuit, fuisse in isthanc  
postea sublato. Palus in medio stipite insertus & extans hoc  
præstabat. In isto enim cruciarium carnifex, quasi in equo vel  
sedili collocabat. Tum pedes clavis binis ad erectum stipi-  
tem infra configebat. Ut verò dispessas manus ad antennam,  
similiter utrinque affigeret, in scendebat ipse hunc palum de me-  
dio eminentem. Ut adeò scalarum etiam ulus hic exulet, quas  
præter



præter historiam & fidem veterum, atque omnem citrà necessi- *not. ad l. 2.*  
tatem à *Lipſio* adſertas, *Salmaſius* autor eſt. Leviffima mulier *c. 8.*  
apud *Petron.* corpus mariti exanguè, noctu atque extra urbem, *Ep. 1. & 2. ad*  
& ſine ſcalâ, forte abſque ſcamno etiam, nam in monumento *Barthol.*  
habitabat, ſolo adjuta milite ancillulâque, vacuæ adfigit cruci.  
Conſtat præterea, quod, uti *Lipſius* ait, *Cruces hominem ceperint* *l. 3. c. 10.*  
*moriturum in ipſis, non per ipſas.* nam alios moris fuit in cruce  
poſitos uſtulari, alios à beſtijs lacemari, alijs crura frangi, alios et-  
jam fumo ex viridibus lignis excitato necari. quæ omnia humili-  
tatem crucis adſtruunt. *Fame*, quâ ſolâ in alto ſuſpenſi deficere  
poterant, abſumptos ex conſuetudine Romanâ non facilè legi-  
mus.

§. 9. Certum porrò, uſu veniſſe, ut Cruces eſſent *varia*  
*magnitudinis.* etiam in ordinario ſervorum latronumque ſup-  
plicio; prout nempe vel robuſtior eſſet atque altioris ſtaturæ,  
vel infirmior depreſſiorque crucis candidatus. Vetus *Lucillij* di-  
ſtichum eſt,

μακροτέρω σταυρῶ σταυρῶ μένον ἄλλον ἑαυτῆ  
ὀφθαλμοῦ Διοφῶν ἐγγύς ἰδὼν ἐτακῆ.

*Invidum hunc in ipſâ cruce livor extinxit, quod alium prope ſe in*  
*altiore ſuffixum patibulo videret.* Interdum quoque ad majus  
exemplum, aut ſtudio majoris crudelitatis, pro criminis atroci-  
tate, vel perſonæ odio, aut ad majorem infamiam, al-  
tior crux extra ordinem fixa eſt. De *M. Att. Regulo*, quem *Pœ-*  
*ni* in crucem egerant, *Silius* canit — *vidi cum robore pendens,*

*Italiam cruce ſublimis ſpectaret ab altâ.*

Sic *Carthalonem* cum ornatu ſuo in altiffimam urbem in con-  
ſpectu Urbis ſuffigi pater juſſit. *Galba* apud *Sueton.* imploranti *Just. l. 18.*  
*tutori* leges, & civem ſe teſtificanti, quaſi ſolatio aliquo atq; honore *c. 9.*  
*pœnam* levaturus, mutari, multoq; præter cæteras altiore & deal-  
*batam* ſtatui crucem præcepit.

§. 10. Illud tamen, an *Chriſti* crux præ reliquis, etiam  
Latronum ſecum eductorum, crucibus, peculiari altitudine atq;  
eminentiori fuerit; incertum, imò minus probabile nobis vide-  
tur. Sicut enim in profanis, non temerè ac pro lubitu ſigi-  
mus altiore crucem, niſi ubi ſcriptores nòminatim ejus me-  
minè-



minere: Ita cum Evangelistarum facer labor, (qui minima etiam  
jam ignominiae argumenta, *sputa, verbera, vestem coccineam, ba-*  
*rundinem* &c. item quod *medio inter Latrones duos loco*, Crux  
Christi collocata fuerit, scribere non praetermisit) nihil omni-  
no de sublimiori Christi Cruce insinuet; ideo nihil etiam pe-  
culiare h.l. nobis persuademus. Ipsa Passionis historia, si ex-  
actius illam pensitemus, *parem trium crucium altitudinem* fuisse  
evincit. Moris erat; ut cruciarii suam ipsimet crucem, ex  
carcere per celebriores urbis vias deducti ad locum usque sup-  
plicij ferrent. Tulit & Christus eam, atque intra urbem forte.  
Sed cum deficeret sub onere, imponebant illam milites *Simoni*  
*obviam casu facto*. At quomodo si tam alta fuit, aut Christus  
aut Simon gestare hanc molem per plures passus poterat? Nam  
ex crassioribus, ut videtur, trabibus compingebatur olim crux,  
ut ferendo corpori par esset, quod corrumpi in cruce passi sunt,  
cum sepelire istud nefas foret. Neque existimari oportet, cru-  
ciarios non totam semper crucem, sed solam aliquando anten-  
nam portasse. uti non de Christo id quidem sed de alijs tamen.  
*Lipf. l. 2. c. 15.* *Lipfius* prodit; adversus quem omnibus copijs depugnat Salma-  
*l. 2. c. 5.* *fius*, quem vide, *Titulus* certe ad caput cruciatij affixus, legi a  
praetereuntibus, ac dignosci de plano potuit. De plano etiam  
cruciarijs crura facta sunt. Milites enim illi de predictum co-  
horte procul dubio erant. cum *σπλιώτης* eo tempore non dice-  
retur absolutè nisi de *pedite*, & *equites* semper *ἰππῆς* Græcè vo-  
carentur. *Pedites* crucibus ad custodiam, ne cruciarii tolle-  
rentur, ad positi sunt. non aliter profectò, quàm pedes fuit iste  
miles, qui eadem catenâ vinctus ligabatur cum reo, quem custo-  
diebat. unde *custodia* dictus est. Neque aliter illi Christo quàm  
Latronibus crura frangere parabant. Accessere ad primum  
Latronem primò; deinde ad alterum. Ultimò ad Jesum vene-  
runt, ut similiter cum eo agerent. offenderunt mortuum: absti-  
terunt. Quin iste etiam *σπλιώτης*, qui *lanceâ ἐνὸς* latus Chri-  
sti, non altè suspensum illum fuisse indicat. Quanquam enim  
Romana hasta, hominis staturam aliquanto excesserit, miles  
tamen, qui transfodisse eâ latus Christi dicitur, non ex imo in-  
altum



altum debuit hastam nimum subrectam infigere, sed ictum dirigere paulum ea allevata.

§. 11. Adducuntur quidem in contrarium, eminent Christi statura, quam Patres aliqui, & communis Romanorum fama tradant. item singularis ejus celebritas, tum Judæorum immane erga Christum odium, quod omnia magna minabatur atque apparabat innocētissimo capiti nec non, quod passio ejus omnibus gentibus debuerit innotescere, ex *Lactant.* supr. all. ideò conspicuum omnibus Christum crucifixum esse debuisse. metuisse etiam Judæos, ne discipuli & sectatores cruciarium Magistrum ex breviori cruce surriperent. &c. At nimis infirma isthac esse, facile foret demonstratu, si prolixis esse in his refellendis allubesceret nobis. qui progrediendum potius ab his *conjecturis* arbitramur, ad ea, ad quæ major evidentioris certitudinis spes nos nunc vocat.

§. 12. *Lipso* Crux in *Simplicem* & *Compactam* dispescitur *Compacta* fuit vel *decussata* X. vel *Comissa* T. vel *Immissa*, in quâ aliquantum stipitis arrectarij supra transversum lignum eminent, h. m. † *Cl. Salmasius*, quanquam rem ipsam probet, melius tamen dici existimat, *Crucis compacte* aliam esse *decussatam* ad instar literæ X aliam *capitatum* ad instar mali navis cum antennâ suâ; aliam sine capitello, ut est litera Tau. Sive itaque Crucem Christi *compactam immissam*, aut *compactam capitatum* dixeris utrinque hæc forma † emerget. Hæc autem constans hodiè omnium sententia est; *Justini* potissimum & *Tertulliani* testimonio comprobata. Nam quod *Justino* est ἀνώτερον μέρος, id *Tertull.* *emicans crucis caput* vocat, cui titulum s. causam mortis in tabellâ appendi mos fuit.

§ 13. Nominavimus hætenus *stipitem arrectarium*, & *transversum lignum* sive antennam. His geminis trabibus totam Christi crucem major ferè scriptorum pars absolvit. Alij addunt lignum aliquod *suppedaneum* s. tabellam, quâ innixi affixiq; pedes fuerint. N. *Full. Misc. s. l. 4. 12.* J. *Gretsl. 1. c. 24.* *Barrad. tom. 4. Harm. l. 7. c. 13.* quibus pollicem *Phil. Caroli*, ac *Nibusius* premunt. Sunt denique qui ligno arrectario medio vicissim lignum aliquod impactum censent, in quo Christus sederit, &

B

q.ve-

QV. III.

De verâ crucis Christi Formâ.

l. 1. c. 5. 7. 8. 9.





q. veetus fuerit. Förster. Dilber. Salmaf. Postrema horum sententia nos subscribimus, quam & paulò altius sumus repetituri.

adv. Trypb.

l. 2. adv. ha-  
res. c. 42.

Epist. 101.

§. 14. Illustria verò argumenta sunt, quæ *medium* hoc *sedile* probent. *Justinus*, qui & antiquitate, & doctrinâ, & genere mortis primum à temporibus Apostolorum inter scriptores locum meretur, ita infic: καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρα, καὶ ἀπὸ ἐξέχον ἐστίν, ἐφ' ἣ ἐποχῆνται οἱ σταυρούμενοι. E medio crucis extabat hoc lignum. in ipso stipite infixum & impactum. Eo veetatum dicit crucifixum. Ergò inter femina hoc habebat, eique quasi *inequitabat*, quod est ἐποχῆσαι. Non minorem fidem meretur *Irenæus*, martyrio quoque nobilis; *Ipsè habitus Crucis*, inquit, *fines & summitates habet quinq;*, (crucem enim contemplatur è terrâ exemtilem; aliter ac *Justinus Martyr*, qui partem infimam stipitis erecti, pro cornu vel extremitate non computavit, quia in terram demersa & abscondita minimè apparebat) *duas in longitudine, & duas in latitudine, & unam in medio, ubi requiescit, qui clavis affigitur.* *Tertullianus l. 2. adv. Nat.* *Pars crucis & quidem major est omne robur, quod erectâ statione defigitur. sed nobis tota crux imputatur, cum antennâ scil. sua, & cum illo sedilis excessu.* Excessum vocat sedilis, quia excedens illud & eminent in medio crucis lignum pro sedili fuit, ad sustinendum cruciarium ei insidentem. Idem *adv. Jud. c. 10. ad Deut. 33, 17.* inquit: *Christus in illo significabatur, Taurus ob utramque dispositionem; aliis ferus, ut Judex, aliis mansuetus ut Salvator, cujus cornua essent crucis extrema.* Nam & in antennâ, quæ crucis pars est, extremitates crucis, cornua vocantur. Unicornis autem medio stipite palus. Unicornem palum vocat, quia unum tantum cornu seu extremitatem ex anteriori crucis parte eminentem habuit. Not. obiter, quod κέρα non necessariò quidem lignum instar cornu incurvatum, sed quamvis illius ligneæ crucis extremitatem notet: at fuisse tamen forte hoc sedile non nihil incurvum, ut cruciarij tantò firmiter super eo considerent.

§. 15. Vestigium hujus ligni, etiam apud *Senecam* videre est, ubi *Mœcenatum* citat, qui vel in cruce vivus ac videns subsidere mallet, quàm extra crucem lumine cæcus esse.

Debi.





*Debilem facito manus,  
Debilem pede, coxâ,  
Tuber adstrue gibberum.  
Lubricos quate dentes.  
Vita dum superest, bene est.  
Hanc mihi vel acutâ*

*Si sedeam, (Salmas. subsidem legit) cruce sustineo.* Lipsius quidem isthac de *impalatione* Turcis usitatâ capit; sed satis illum verba Senecæ refutant. Ita enim paulò post; *Suffigas licet, inquit, & acutam sessuro crucem subdas, est tanti vulnus suum premere & patibulo pendere districtum, &c.* Mala ergò hæc sessio fuit, cum ex eâ parte, quâ premebatur natibus residentis cruciarij, acuta instar cultri esset; ad hoc tamen maximè instituta, ut diutius persistere in cruce, ac durare corpus cruciarij posset. Neque enim manus confixæ clavis, aut brachia funibus religata potuissent molem corporis suo pondere deorsum ruentis sustinere; ubi tabo diffluere, ac dissolvi ex morâ longiori cœpisset. Scribit *Arrianus in dissert. Epiet. κ̄ εν τῷ βαλανείῳ ἐκδυσάμεν* καὶ ἐκτείνας σεαυτὸν ὡς οἱ ἐπαυρωμένοι, τρέβη ἐνθεν κ̄ ἐνθεν. Hinc, & *l. 4. c. 26.* aliunde etiam constat, pilos crucifigendos se extendisse, & brachia sua porrexisse alliganda. *conf. Job. 21, 18.* Necessum ergò fuit, ut corpus ipsum in aliquo velut fulcro sedens requiesceret. *v. supr. §. 8.*

§. 16. Objiciunt equidem nostræ huic ita confirmatæ sententiæ, prioris §. 14. citatæ Patroni, absque *sedili medio*, pictam hætenus, sculptamque esse Christi Crucem. Sed ratio hæc est; quod primis illis seculis, neque in sacris ædibus, nec in plateis, bivijisq; aut trivijis *solide* cruces constituerentur. *Pictæ* tantum aut *sculptæ* videbantur, sed *nudæ* tamen, h. e. sine corpore crucifixi. Hinc neque *sedilis excessus*, in quo vectabatur cruciarius, expressus est. Ita hoc signum ipse *Constantinus M.* in vexillis pingi, atque in nummis excudi jussit. Unde cum posteriores Constantino, non aliam quàm talem crucis effigiem contuerentur, persuasum planè habuerunt, antiquas etiam cruces, dum in usu adhuc essent, solo stipite arrectario, atque antennâ constituisse. Sunt qui inde arcessant causam rei, quod Christiani primùm ducti.

*Salmas. l. c.*



ductibus digitorum crucem in aëre formaverint, vel fronti suæ, tanquam fidei in Christum crucifixum tesseram, quasi impresserint. Constare autem, crucem non nisi duobus ductibus; atque ita solas duas præcipuas partes formari: Sedilis verò, utpote partis præ stipite & antennâ exiguæ rationem non haberi, nec haberi quidem commodè talibus & eum in modum aëri inscriptis lineamentis posse. Ita postea ad eum modum cruces ex materiâ factas, pluribus rebus appositas, atque applicatas esse. *Dilb. de Crucifix.*

§. 17. Restat, ut de tertiâ sententiâ, quæ *Suppedaneum* asserit, mentem paucis exponamus. Qui isthoc corpus cruciarum suffulciunt, *Gregorium Turonensem* pro se citant. Ita ille de *Glor. Mart. c. 6.* inquit *Clavorum Dominicorum quod quatuor fuerint, hæc est ratio. Duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis, & queritur cur plantæ affixæ sint, quæ in cruce sanctâ dependere visæ sunt potius quàm stare. Sed in stipite erecto foramen factum manifestum est. Pes quoque parvæ tabulæ in hoc foramen insertus est. Super hanc verò tabulam tanquam stantis hominis sacre affixæ sunt plantæ.* Sed recentior iste autor est, quam ut ei hæc in re, omni tacitâ anquitate possimus fidem adhibere, etsi fateamur inveniri ejusmodi cruces, sed recentiores, cum suppedaneo ad mentem *Turonensis* figuratas. Vixit sub Imp. *Mauritio*, quâ tempestate memini crux visa est, nisi ficta aut picta; & solus est, qui de suppedaneo testatur. Multa præterea de cruce prodit, quæ haud satis sana sunt. Etiam alibi est sublestæ fidei, multaque fabulosa, utpote nimis credulus retulit; quod *Vossius, Casaub. Gerb. Broch.* summi viri pridem animadvertere.

§. 18. Quantò itaque sanctior nobis est, *Justini* atque *Irenæi*, & *Tertulliani* autoritas; qui crucem quotidie notare oculis, & describere exactissimè potuerunt. antequam *Constantinus M.* (uti dictum supra est) subservire illam amplius ad perniciem, & pœnis vilescere damnatorum, lege publicâ vetaret. Habuit *Justinus* Judæum à tergò, harum antiquitatum gnarum, à quo refelleretur si fingeret illis temporibus nec facta, nec scripta, nec tradita. Ab omni falso illum *Tryphon* sub finem colloquij absolvit. atque haud gravatim fatetur, plura se ibi quam speraverat, nec sine ingenti voluptate reperisse. *Unicornu enim*  
Deut



Deut. 33. de crucis eminente sedili intelligendum esse, cum ignarissimis ignoraverat, usque dum Justinus illi ad oculum hoc demonstrasset.

§. 19. Neque est quod ex Nazianzeni Tragœdiâ, quæ Christi patientis titulum gerit, præsidij quicquam sperent. quasi iste hoc versu

πέδας δὲ καθήλωσιν ἐν πικτῷ ξύλῳ  
Suppedaneum adstruat. Dudum id Lipsio & Casaubono, Baronioq; suboluit, quemvis alium potius, quam Nazianzenum Tragœdiæ istius autorem esse. Et quod πικτὸν ξύλον de stipite arrectario capiendum sit, id prolixè exequitur Salmasius.

§. 20. Enimverò pedes, quamvis fulcro innitantur, tamen labascentibus genibus oneri confestim cedunt; quod crucifixo citius evenisset, tot cruciatibus antea enervato. Sic deorsum totus corpore delabente fluens, incurvum quodammodo & duplicatum corpus ostendisset, cum stantis tamen effigiem, Turonensis cruciario assignet. Tantò minus autem consisteret mortuus & putrefactus, ut solebant plerumque in cruce relinqui, donec tabo diffuerent, atque à sole & pluviâ corrumperentur. Quî enim pedes pegmati suppedaneo affixi prohibere potuissent, ne manuum tendines rumperentur, & corpus cruciarij procideret.

§. 21. *Causa Mortis* atque *Titulus* emicanti crucis capiti in Tabellâ appensus est; Linguâ *Ebraâ*, (ita *Sym* tempore Christi vernacula vocatur) propter Judæos; *Græcâ* propter gentes undiquaque congregatas, quarum pleræque hanc linguam per totum ferè orbem tum diffusam callebant; *Latina* propter Romanos, qui armis Judæam subegerant, exscriptus. Johannes Romanam vocem retinet. Matthæus αἰτίαν crimen & causam supplicij, reddit. λεύκωμα Sozomenus vocat; Nicephorus λευκὴν σάνδα, tabulam dealbatam vel cerusâ, vel gypso, vel cretâ, quam literis ex encausto seu atramento; h. e. nigris exarabant. Latini *Album* dicunt, quod Græcis est λεύκωμα. unde *Album Prætoris*, *Album curiæ*, *Album judicis* &c. *Agathia* γραπταὶ σάνιδες appellantur. De Attalo Martyre Euseb. lib. 5. c. 1 circumductus, inquit, per Amphitheatrum tabellâ ipsum præeunte, in quâ ἐγγράφῳ latine

QV. IV.  
De Titulo.  
Job. 19, 20.



scriptum. Hic est Attalus Christianus. Et prodit Dio servum  
quendam in crucem esse actum μετὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς  
θανάτωσώς δηλούντων.

Gretf. l. 1. c. 29  
J. Wolff. Me-  
morab. t. 2.  
p. 233.

§. 22. Non est itaque, quod credamus, Tabellam isthanc  
eo opere *calatam* fuisse ut ductus literarum in eâ eminent, pla-  
nâ superficie, non introrsum cederent. *Scriptum* Titulum  
omnes quidem Evangelistæ, sed Johannes tamen *quater* in eâ-  
dem causâ nominat. Et quomodo tam brevi tempore, quod  
inter condemnationem & supplicium Salvatoris intercessit, ope-  
rosa hæc cælatura perfici potuit? Certè Judæi cum ad odiosam  
istam inscriptionem crisparent nasum, petunt à Pilato, ut ex-  
templò alium conficiat, vel conficiendum curet. Idem & *Nov-*  
*nus*, idem *Sedulius*, *Prudentius*q; ac *Socrates*, tum *Niceph.* ac *So-*  
*zom. Ruffinus*q; constanter asserunt. Unde Titulus iste, quem  
Roma hodiè exhibet *lignum*, & *ferro sculptum*, non *calamo exa-*  
*ratum*, meritò pro commentitio habetur.

§. 23. *Inscriptionem* non iisdem quidem apicibus Evange-  
listæ omnes exprimunt: cæterum si amicè illos invicem conci-  
lies, hic integer titulus emergit

הנה ישוע נצרי מלך היהודים

Ἰησὺς ἐστὶν Ἰσραὴλ ὁ Ναζωραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων  
*Hic est Jesus Nazarenus Rex Judæorum*

Quàm enim non insolens apud Romanos *δεικτικὸν* fuerit, id ex  
Titulis illis discimus, quos scriptorum beneficio nostra etiam  
ætas possidet. *Regem* verò Judex injustus appellavit, non quod  
Regem Sionis ipsum esse crederet, sed quod Regnum adfectasse  
diceretur. Aut certè homo vafer, omnem hoc pacto amoliri à  
sele invidiam studuit. Quin Cæsaris etiam offensam, quæ me-  
tuenda erat, sicubi fortè sinistrior fama de sumto hoc supplicio  
Romam deferretur, ante vertisse ita videbatur. cum speciosum  
esset, sustulisse è medio perniciosum civem, qui se pro Rege ge-  
rere, & Judæorum fidem alioqui satis dubiam, convellere turbu-  
lenti vocibus ac solvere satagisset.

Lips. l. c. 11.

§. 24. Dictum à nobis supra est, quod ad caput crucifixi  
Titulum affixerint. Hoc tamen non semper atque apud omnes  
conti-





contigit; nam *preferri* quandoque aut *appendi* damnatis solebat. Quandoque etiam neglecto aut spreto titulo, contenti *superdictione* fuerunt, i. e. ut Præconis præeuntis voce populo id nunciaretur. Ad Christi crucem appositum fuisse Titulum, Johannes testis est, Num verò Præco simul præcesserit, (quod subinde in picturis conspicimus, nec improbat *Gretserus* l. 1. c. 16. exclamans: *Hoc est mandatum Pilati, nomine Tiberij Cæs. ut hic Jesus Nazarenus capitis supplicio afficiatur, quia homines seduxit, seq. Regem & Filium Dei vocavit*; id *Fr. Xavier* quidem l. c. prodit; sed cum impudentissimus mendaciorum confarcinator, tam crebrò historiam Christi immundo contactu fœdet, meritò & hîc loci habetur suspectus.

§. 25. Non autem *Titulum* tantum crucis habere se, gloriantur *Pontificij*, sed & de *Cruce ipsâ* innumerabiles passim ostendunt portiones & frustra plurima in omnibus ferè Monasterijs ac Templis suis, ut ex ijs propemodum sexcentæ effici possint crucis. Illis verò quàm divinas ipsi tribuant vires, quàm divinos honores, & quàm absurdè quidem id agant, à Theologis nostris dispicitur. Nobis in præsentem animus est, unâ atque alterâ thesi adhuc totum istud negotium reddere *dubium*, collatione eorum, quæ de *inventâ cruce* Dominicâ quidam tradunt veteres, sentiunt recentiores.

§. 26. Pervulgata verò sententia est, *Helenam* Constantini M. Matrem, *Christi latronumq. cruces* terrâ obrutas, *reperiisse* cum in Palæstinâ ageret &c. quam tamen non immeritò *Salmasius* sequioris seculi *commentum* iudicat; cuius non quidem *Socrates* & *Theodoretus*, *Sozomenusq.* aut *Ruffinus*, ad quos communiter provocant, sed alius aliquis idioticus & Zelotes, fortè Hierosolymitanus Episcopus autor sit, quem secuti deinceps bonâ fide optimi scriptores illi, ficta profactis in literas regesserint. Nam cum pervulgata tum esset *crucis inventio*, atque in ore omnium; ipsi etiam piè illam credere debuerunt, ut plura alia, isthâc tempestate, non certioris fidei, nec melioris monetæ, credita passim sunt. Ac videtur nos huc ipse *Gelasius* Pontifex deducere, qui in famoso illo *Decret. can. Sancta Romana* 3. *dist. 15.* scripta de inventionem S. Crucis Dominicæ *novellas esse revelationes* monet,

*Et cum*

25. V.  
De Inventio-  
ne crucis  
vulgò Hele-  
na adscriptâ





& cum iudicio, juxta Pauli sententiam, 1. Thess. 5, 21. legendas. Quia id quoque suspicionem movet, quod scripta ut plurimum dubiæ fidei & supposititia inventionem illam habeant. conf. B. Chemn. Ex. Conc. Trid. p. 4. de Imag. p. m. 686.

§. 27. Annon autem, si verè hæc ita contigissent, in Eusebio illa legeremus, probatissimo scriptore. Vixit is ipso illo tempore, ac sollicitè omnia prolixèque exposuit, quæ vel ab Helenâ, vel Constantino M. in locis nativitatis, passionis & sepulturæ Christi gesta sunt. utpote quod Hierosolymis atque in Bethlehem, sacras extruxerint ædes; quod monumentum Christi, variè atque insigniter condecoraverint; quod Fanum Veneris illi à Gentilibus impositum solo æquaverint, locumque egestis ruderibus expurgatum dederint. Hic locus erat etiam tradendi de *Inventione S. Crucis*, nisi mera esset inventio, quæ nondum tempore Eusebij excogitata fuerat, nec conficta. An enim, qui alia omnia tam probè rescivit, qui minima etiam, dummodò ad laudem aliquam Helenæ ac Constantini facerent, in literas retulit, rem adeò notabilem miraculoque illustrem reticuisset, si vel tenuis famæ aura ad illum hæc de refuisset perlapsa. Nunc obstinatum Eusebij silentium totam hanc inventæ crucis historiam si non planè destruit, at labefactat tamen insigniter, ac suspectam valdè reddit.

hist. Eccl.  
1. 2. c. 1.

Theol. 1. 1. c. 18

§. 28. Narrat Sozomenus, Helenam dùm Hierosolymis versaretur, animum piè erga religionem affectum, ad investigandam Christi Crucem adjecisse. Cæterùm ingentem negotio difficultatem adferre videbatur, Fanum Veneris, quod in ipso Calvariamonte Ethnici extruxerāt. Sed dirui ædem illam, atq; aggerem exportari iussit. oppressoq; sepulcro jam apparente, visæ quoq; sunt defossæ cruces, quarum nemo erat, qui non pro certo haberet, unam fuisse Domini Salvatoris nostri, duas reliquas simul actorum in crucem Latronum. Atqui, si quid invenit Helena, nemo non pro incerto habere debuit, has esse Christi Latronumque una necatorum cruces. Erat Calvariamons, quod ipsum nomen indicat, nocentium supplicij vulgò destinatus. (uti Romæ etiam juxta urbem locum servilibus suppliciis sepositum, Tacitus agnoscit.) Ex quo ergò, & quamdiu Romanis Præsidibus Judæa paruit, tamdiu  
cruces



crucis ibi fontibus positæ sunt. Cæterum, cum Romano more, nova semper crux novo cruciario figeretur, ideò ne obtererent brevi omnem istæ locum, remota semper, ut primum vacua foret, crux fuit. Quàm vanè itaque asseritur, solas tres Christi Latronumque cruces repertas ibi, ubi & ante & post passionem Christi, tot fixæ maleficis cruces, defossæque postea fuerunt. Si alibi, quam in monte Calvariæ obrutæ terrâ sunt, quo privilegio & meritò Latronum illorum & Christi cruces solæ ibi manserunt. Et cui verosimile fiat, post 300. annos crucem ruderibus per illud omne tempus coopertam, & in terrâ defossam, non computruisse. Fragmenta ejus passim ostenduntur, ex nitente ac splendido & subflavo ligno, atque ita sano & incorrupto, ac si ante annum excisum & dedolatum, atque evasciatum fuisset. Nullum in miraculo, ad quod confugiunt, præsidium. Nam & Latronum cruces ibi unâ inventæ integræ æque ac incolumes prædicantur. Mirum verò cur Christitantum titulum, sed separatim projectum invenerint. Tres omninò adesse debuere, siquidem tres cruces inventæ ibi sunt. nemo enim facilè sine elogio criminis sui ad crucem affigebatur.

§. 29. Quod si verò pietatis Christianæ, quicquam interfuit, uti lignum hoc, ex quo pependit summus salutis nostræ autor, integrum conservaretur; cur negligens adeò Joseph fuit, ut cum corpus Christi à Pilato peteret, non una crucem impetrarit? in proclivi hoc magis etiam quàm prius fuit. Cur Apostoli illam adeò insuper habuerunt: cur obliti sunt curare ubi esset, quid ei fieret, ac cogitare seriò, quomodo conservandum esset tam venerabile ac auro contra carum monumentum. Scribit Sozomenus; *perdifficile adhuc fuisse, Crucem Domini à reliquis internoscere, discernereq; præsertim, cum non illius modo inscriptio ab eâ divulsa distractaq; esset, verum etiam ipsa tres cruces promiscuè projectæ, ordine earum ut est verosimile eo tempore, quo corpora illis suffixa ablata erant, penitus confuso & perturbato.* Itaq; indicio miraculi, quo mulier nobilis morti vicina convaluit, agnitam illam postea subdit. Rursus mirari subit, unde tam certò constet, ob istum crucis contactum convaluisse matronam, si convaluit, nec fuisse

C





fuisse aliàs exnaturalibus causis, cessante fortean morbo convali-  
turam? quâ porrò ratione certa esse potuerit Helena, fore ut tales  
acceptæ essent Deo preces &c. cur Apostoli siverint tam uberem  
miraculorum materiam, h. e. crucem quantum in se fuit deperire;  
quam summo studio ad pellendos morbos videntur asservare  
debuisse. Sed nec in sequenti proximè seculo, Christiani cru-  
cem ad curam suam revocarunt. non quod minor illorum pie-  
tas devotioque ac zelus foret, quàm qui Constantini M. tempe-  
state vigit; sed quod in alijs isti rebus summam pietatis pone-  
rent, h. e. in ipso crucifixo, quem spiritu colebant, ac fide; la-  
bentibus verò annis superstitione magis magisque hominum mentes  
occuparet.

§. 30. Hanc igitur *superstitionem traditionis illius autorem*  
fuisse, admodum verosimile nobis; de cetero propter hæcenus  
dicta, aliaque illud *inveniri satis videtur, inventane unquam*  
*verè sit crux Domini.* Et facilis profectò Crucis jactura est. cum  
præstò sit JESUS CHRISTUS, qui in cruce, ut expiaret pecca-  
ta hominum, pependit. Hic nobis in ore frequenter; hic no-  
bis in corde semper. hic stylo nostro admodum familiaris.

Hæc nostra sublimior Philophia, scire Jesum, &  
hunc CRUCIFIXUM.





Eximio Respondenti suo,  
Disputationis Auctori solertissimo,

**P**rimus Adam vitâ decerpfit ab arbore lethum,  
Et vitâ miser excidit.

Alter at innocuam dependit in arbore vitam,  
Et lethum pius abstulit.

Tenarias genus ille suum damnavit ad umbras:  
Cælo hic restituit suo.

Postulat ille sibi lacrimas: Hic carmina gratiq;  
Illustres animi notas.

Ergo ades, atq; exstare parans, dulcissime WILKI,  
Doctrinæ specimen tuæ;

Vivere Te memorem crucifixi ostendis Amoris;  
In quo constituit mori,

Dum lustras animo lignum, memorabile lignum,  
Et doctâ loqueris manu.

Macte pijs ausis! sancto conamine macte!  
Quod spondet Tibi plurima.

Eusebie Sophieq; probant &serta minantur,  
Dignis præmia frontibus.

Scilicet opprobrium, CRUX CHRISTI, offensaq; multis,  
Ast, WILKI, tua gloria est.

L. M. Q.

aplaudebat

PRÆSES.

F I N I S.



Disputationis Altoni Iohannis

TITULUS CRUCI

SALVATORIS

REDEMPTORIS

EXPOSITORIS

ET

REDEMPTORIS

REDEMPTORIS

REDEMPTORIS

JACOBUS

REDEMPTORIS

REDEMPTORIS

REDEMPTORIS

REDEMPTORIS

REDEMPTORIS

REDEMPTORIS





01 A 6640

ULB Halle 3  
003 108 309



Sb.


VD 17











73

fixi Amoris nostri  
*in Philologicam*  
licii ejus, fueritne  
tudine item, Formâ, Titu-  
lgò Helenæ adscriptâ,  
IRENTEM  
APR. A. O. R. MDCLV.  
natutinis  
lito sistent  
ÆSES

**DRZLDZ / Siles.**

&  
ONDENS  
**ORGIUS WZRE**  
Elect. Sax. Alumn.

---

RÖHNERI Acad. Typogr.